



domus Davidis, sed non unguunt regem, filium regis, nisi ubi fuerit dissensio, sicut c. c. unxerunt Salomonem propter dissensionem Adoniae, Ioasum propter dissensionem Ataliae, et Ioahasum propter Ioiakimum, fratrem suum natu maiorem.

At enim uero cum partim historia sacra exponat, partim IOSEPHVS, alique rerum Hebraearum scriptores, iterum iterumque testentur, alios quoque, praeter reges e gente Dauidica prognatos, sub auspiciis regni sui unctos fuisse, haud ignobilis est quaestio inter eruditos Hebraeos, quonam hi oleo uncti fuerint? Mirifice in componenda hac quaestione consentiunt Hebraei, qui docent, unctum fuisse regem illum **אֶרְסִימוֹן** *opobalsamo*.^{c)} Otium nobis fecit in colligendis monumentis id confirmantibus GVILIELMVS SCHICKARDVS in *Iure Regio Hebraeorum*,^{c)} cui aliquid addere foret difficillimum. His itaque ex rei dignitate, et pretii, in quo haberi solebat oleum unctiois sacrum, grauitate perpensis, nemo est, quin intelligat, quanta fuerit Pontificis M. dignitas, ac tantum huic habitum esse honoris, quantum praeter reges e gente Dauidica, nec hos quidem omnes, tributum est nemini.

III

FECIALIS, SIVE SACERDOS AD BELLVM VNCTVS, HAUD
FVIT PERPETVVS, SED BELLO INDICTO LECTVS
EST ET VNCTVS

MAGNO intelligentium, doctissimorum scilicet Hebraeorum, consensu summa fuisse perhibetur auctoritas et dignitas Patris patrati Hebraeorum, siue principis sacerdotis, ad obeunda in bello sacra constituti. Dicitur ille solemni inter Hebraeos nomine, **מְשֹׁחַ מִלְחָמָה** *unctus belli*, i. e. *sacerdos ad bellum unctus*. Is sub belli initium e sacerdotibus legebatur, et ut

c) *Theorem. IV. Capitis I. p. 78. seq.*

B

nihil